

116

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIONIS,

DE

**DIVERSO GUSTU  
REIPUBLICÆ  
LITERARIÆ,**

PARTEM PRIOREM,

*Consentiente Amplissima Facultate Philosophicæ  
in Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

**HENRICO  
HASSEL,**

Eloquentiæ PROFESS. Reg. & Ordin.

*Publico honorum examini subicit*

STIPENDIARIUS REGIUS,

**ABRAHAMUS LEGNER,**

W. G.

Die X. Aprilis Anni MDCCLI.

*Loco horisque solitis.*

---

ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.



*S:æ R:æ M:his*  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO,

**DN. DANIELI  
JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI Consummatissimo, Diœ-  
ceseos Skarenfis EPISCOPO Eminentissimo, Ven. Confit.  
PRÆSIDI Gravissimo, Regii ibidem Gymnasii  
Scholarumque per Diœcesin EPHORO  
Adeuratisimo,

PATRONO MAXIMO.

**M**æneas, Gothici Præful Celeberrime Cœtus,  
Cultori pateant limina magna pio!  
Ire jubet pietas, benefactis nempe vocata;  
Nos pudor ast revocat, vultque referre pedem.  
Sed Tua sic recreat dubitantem Gratia mentem,  
Ut, remoris victis, carpere possit iter.  
En! igitur mentis devotæ pignus, opellam,  
Nomine quæ splendet, quamvis opaca, Tuo.  
Pingvia dona valet locuples, chartacea pauper:  
Ne precor ingenuum dura repulsa premat.  
Ante fiet siccum pelagus, montesque liqvescent,  
Quam mea Musa TIBI desinet esse pia.  
Quot numerat pontus guttas, quot littus arenas,  
Tot TIBI læta ferat gaudia quæque dies!  
Nominis ecce TUI Reverendi terque quaterque,

*Sic rovet ex animo,*

*cutor ad ima pius,*  
ABRAHAMUS LEGNER.

Kongl. Mits  
TRO-TIENARE och CAPITAINE,

Högädle HERR

**CONRAD  
BRANDT,**

Gunstige HERRE

**H**ur' skall jag som sig bör den myckna Gunst bemöta,  
Som J, Min HERRE, mig bewisat från den dag,  
J anförtrorde mig Er Broders Son at skiöta,  
Den J är för en Far? Ty derifrån har jag  
Af Er benägenhet det mått af godhet njutit,  
At från en Faders hand knapt större kunnat slutit.

För sådan Gunst har jag ej annan Pant at gifwa,  
Än desse Pappersblad, dem jag med rätta bör  
Upoffra Er, hälft de ej hunnit tryckte blifwa,  
Hwar de ej hade Er at sådant tacka för:  
Så tag dem Gunstigt upp, den wördnad at förklara,  
Hwarmed jag billigt är och skall til slutet wara

Högädle Herr CAPITAINS

ödmiukaste tjenare,  
ABRAHAM LEGNER.



VIRO *Admodum Reverendo atque Præclarissimo*,  
**Dn. Mag. OLAVO VENERBOM,**  
Hactenus Ling. Græc. LECTORI dexterrimo, jam vero  
PASTORI & PRÆPOSITO in **SPNNEBERG**  
Longe meritissimo.

VIRO *Præclarissimo*,  
**Dn. Mag. SVENONI HOOFF,**  
Eloqv. & Poëseos LECTORI Laudatissimo, Ven. Confit.  
ADSESSORI *Æquis*issimo.

VIRO *Plurimum Reverendo atque Præclarissimo*,  
**Dn. Mag. ARVIDO AFZELIO,**  
PASTORI in **UUS** Dignissimo.

VIRO *Plurimum Reverendo & Clarissimo*,  
**Dn. JONÆ LUNDBORG,**  
COMMUNISTRO in **UUS** Meritissimo.

PATRONIS ET FAUTORIBUS OPTIMIS.

**B**eneficia Vestra, PATRONI & FAUTORES Opti-  
mi, quæ mihi meisque contulistis plurima, si non fida  
semper memoria haberem recondita, notam debito-  
ris ingratisimi haud effugerem. Quantum Vobis debeam  
satis scio; verum, quum suppetat nihil, quod rependam,  
hanc qualemunque ingenui mei prolem in obsequentiis ani-  
mi significationem, ut benigne excipiat, enixe rogo atque  
obtestor. Pro perenni Vestra salute vota nuncupabo ca-  
lidissima, quoad vixero,

Admod. Rever. Præclarissimorum & Plurimum Reverend.  
NOMINUM VESTRORUM

ABRAHAM LEGNER

sultor observantissimus,  
ABRAHAMUS LEGNER.



I. N. J.

§. I.  
**Q**uemadmodum unus idemque cibus non omni-  
bus æque sapit, sed quem alter appetit, hunc  
sæpe fastidit alter; ita in artibus ingenuis  
atque scientiis nec eadem cunctis placere,  
multiplex docet experientia. Nam, sive pretium ea-  
rum spectes, sive modum tractandi, sive, quæ am-  
plissimo suo ambitu continent, scita ac placita, vix aliud  
obveniet, in quo magis varientur mortalium judicia.  
Diversitas hæc non solum in singulis hominibus, verum  
integræ quoque populis, imo ætatibus conspicitur. Sic  
constat, certis quibusdam gentibus certas imprimis  
scientias diu in deliciis fuisse; prout diversis etiam æta-  
tibus, diversa præsertim studia caput extulerunt. Hanc  
in populis atque ætatibus discrepantiam judiciorum in-  
telligimus per diversum Reipublicæ Literariæ gustum;  
de quo in sequentibus nonnulla adferre constituimus,  
institutum hoc nostrum Tuo, L. B., favori, qua decet  
reverentia & studio commendantes.

§. II.

**D**E diverso igitur gustu Reipublicæ Literariæ actu-  
ri, scientias ab ipsis earundem incunabulis repe-  
tere volumus; proinde ad Orientales nos primum con-  
vertimus, a quibus primitus exultæ fuerunt. Ori-  
tales

A



tales nobis audiunt Chaldæi, Persæ, Phœnices, Indi, quibus etiam addimus Ægyptios & Sabæos. Apud hosce populos varias olim floruisse scientias, vel ideo neminem negaturum fore putamus, quod ipsi Græci, exteris & præsertim Orientalibus infensissimi, non solum hanc illis gloriam concedere necessum habuerunt, verum etiam fateri, quod scientia sua Orientalium institutioni natales suos deberet. Præterea res ipsa loquitur. Quis crederet amplissimas munitissimasque urbes absque Matheseos & Architecturæ scientia exurgere potuisse? Quis ædificia stupendæ artis a vulgari solum artifice constructa sibi persuaderet? An pro fragmentis habenda sunt, quæ de Babylone, Ecbatanis, Susis, Persepoli, & quæ in illis olim spectabantur, operibus narrant Historici? Ut nihil dicam de septem illis mundi miraculis, quorum artificium admiratur potius, quam intelligit nostra ætas. De cætero, quomodo tot res pretiosissimæ ex tribus Naturæ regnis colligi potuissent sine Historia Naturali? Quomodo absque Scientia Physica & Chemica paratum fuisset aurum, argentum ac cætera metalla? Neque prætereundæ sunt artes manuariæ, quas dictos apud populos ad insignem perfectionis gradum provectas fuisse, exquisitissima earum opera testantur. Sive enim splendidas vestes, sive pretiosam omnis generis supellectilem eorum consideraveris, tantum ubique artis reperies, quantum nostra ætas, tot scientiis instructa, vix adsequitur, nedum superat. Nec percipi potest, vasta adeo imperia tamdiu consistere & florere potuisse absque solidiori scientia Politica. Sed fatemur ingenue, nego.

negotium hoc magna premi obscuritate. Nam Libri Orientalium non suppetunt; & qui apud eos peregrinati fuerunt Græci, rem eorum literariam parce admodum attigerunt; quod vel insito in exteros odio fecerunt, vel ut, quæ ab aliis didicerant, ipsi invenisse viderentur. Nonnulla tamen delibaturi initium facimus a Chaldæis, quos Cicero antiquissimum Doctorum genus adpellat. Ex copiosa, quæ sine dubio apud Chaldæos fuit, librorum supellectile, supersunt oracula Zoroastris in Græcam Linguam conversa: quæ licet viri quidam docti pro spuris habuerint, ab aliis tamen genuina habentur; quum plurimos apud Scriptores inveniantur, & apud Platonicos in summo fuerint pretio. Atque hoc magis inde confirmatur, quod Joann. Picus, Comes Mirandulanus, in Epistola ad Marfilium Ficinum narrat, se incidisse in exemplar ipsum Chaldaicum, versione Græca plenius longe & emendatius, imo sibi adesse explicationem eorundem oraculorum a Sapientibus Chaldæis conscriptam, brevem eam atque obscuram, sed mysteriis prægnantem. Post Comitum hujus mortem libri hi inventi sunt a Ficino, sed ita detriti & lectu difficiles, ut nihil inde elici potuerit, referente Stanlejo p. 1176. Hic ipsa quoque oracula exhibet, sed quorum pleraque tanta laborant obscuritate, ut Oedipus sit oportet, qui sensum eorum eruere queat. Nec tam in verbis, quam rebus ipsis hæc obscuritas consistit. Hoc nihilominus apparet, multa hic congruere cum eis, quæ alioquin referunt Græci de Doctrina Chaldaica. Perhibetur autem hæc duplex potissimum fuisse, Theologica & Physi-



Physica. Unum quidem rerum omnium principium statuebant Chaldæi; sed juxta rebus creatis divinitatem tribuebant, easque divino cultu prosequiebantur. Prolixum quoque intellectualium, mundorum, Dæmonum & nescio quorum figmentorum excogitaverant ordinem; unde magia theurgica dicta originem duxit. Quod Physicam Chaldæorum spectat, secundum ante dicta nullum est dubium, quin multa quantivis pretii continerit; fatendum nihilominus est, non paucos eidem admixtos fuisse errores. Falsa enim eorum Theologia Physicam quoque corrumpit; nam, quum rebus naturalibus divinas virtutes inesse crederent, non potuerunt non in absurdam quandam prolabi magiam naturalem. Sic tradente Maimonide dicebant, a se leones, serpentes & noxia animalia urbibus ejici, omnia vitiorum genera plantis arceri, grandinem cohiberi, vermes e vineis, ne eas corrumpant, interimi, ne folia ex arboribus decidant, effici, & alia id genus. Astrologiæ erant addictissimi, in quam hic invecus est error fundamentalis, quo contendebant, inter cælestia & terrestria talem intercedere Sympathiam, ut ex astrorum influxibus mortalium actiones, fata & ipsa vita penderet; quod dogma ad Europæos translatum, etiam inter hos monstruam illam peperit Astrologiam Judiciariam. Doctrina Chaldæorum, ut ad Persas fuit propagata; ita hi in pluribus, tam ad religionem, quam scientias pertinentibus cum Chaldæis congruebant, adeoque eundem prope habebant gustum literarium. Id vero observamus, quod, quum Chaldæi unum duntaxat agnoscerent rerum prin-

principium, Persarum quidam duo fingerent, quorum alterum bonum esset, malum alterum; qui error deinde Christianismo illatus, portentum Manichæismi produxit. Ad Ægyptios igitur progredimur, eorum indolem literariam spectaturi. Hos inde ab antiquissimis retro temporibus Geometriæ operam dedisse constat, quam necessitate quadam ab illis esse inventam, tradunt Herodotus & Strabo. Quum enim Nilus annua sua inundatione terminos possessionum confunderet, ne limitum incertitudo continuas pareret lites, adhibenda fuit ars, qua certa proportione agri dividerentur. Atque, quum mensurandi artificium pluribus aliis utile esse intelligerent, Geometriam omni studio perfecerunt. Præ aliis eorum scribendi ratio nobis notatu digna obvenit, qua arcana religionis aliaque mysteria, quæ in vulgus spargi nolebant, literis Hieroglyphicis & imaginibus, ceu symbolis rerum includebant. Singulæ literæ singulis serviebant nominibus, interdum etiam integros exprimebant sensus. Hæc rerum significandarum compendia ænigmatica quanti apud eos fuerint, vel inde patet, quod in intimis templorum adytis fuerint custodita & non nisi paucis ex ipso Sacerdotum ordine patuerint. Quid igitur mirum, si ad hæc arcana extraneis aditus fuerit interclusus? Pythagoras ægerrime admittebatur, etsi ipsi Imperanti Amasidi a Polycrate Samiorum tyranno per literas fuerat commendatus, ut apud Laërtium legere est. Ex hoc cum Ægyptiis commercio Pythagoras, præter Geometricam scientiam, mysticam de numeris doctrinam hausisse



sisse censetur, quibus postea philosophiam suam, qua partem superstruxit. Ægyptii enim habebant quasdam numerorum facultates, quæ secretissimam eorum continebant Philosophiam. Erat autem hæc eorum Arithmetica non vulgaris & mercatoria, qualis Phœnicum, sed philosophica ad res divinas & naturales accommodata, ut observat Morhofius in Polyhist. Tom. II. Lib. II. Cap. VI. Hos apud populos scientiæ certis plerumque continebantur familiis, & a Patribus ad filios propagabantur. Quin autem hæc institutio simplex fuerit & aperta, quis dubitaverit? Unde etiam colligere pronum est, quæ variis testibus involucris cum aliis communicabantur, hæc suis tradita, satis plana & perspicua fuisse. Nec ulla erat ratio, cur scientiis tradendis quæstum facerent; de publico enim suppetebat, unde liberaliter viverent. Phœnicum scientiam verbo etiam tangere lubet. Porphyrius in vita Pythagoræ ait, Phœnices numero & rationibus apprime studuisse; quod eo magis credibile est, quia cum omnibus fere nationibus mari mediterraneo adjacentibus negotiabantur. De Sabæis autem & Indis pauciora invenimus prodita, quam ut de gustu eorum literario aliquid sigillatim statuere liceat; credibile est, hunc in multis eundem ac cæterorum Orientalium fuisse.

## §. III.

**T**AËTO sic, qui apud Orientales viguit, gustu literario, ut ad Græcos jam transitus fiat, ipsa ordinis ratio requirit, præcipue quum ab illis hi suam haule-

hauserint scientiam. Prima itaque prodeat Poësis, quia inter artes, quas excoluerant Græci, antiquissima est. Scientia eorum tam Theologica quam Philosophica scriptis Poëtarum recondita jacebat; atque poëmatis Homeri & Hesiodi nihil habent antiquius. Quantum autem veteres Græci valuerint ingenio poëtico, vel inde patet, quod non tantum poëtice regulis præceptisque omnium primi comprehenderunt, sed etiam ad id evexerunt fastigium, ultra quod posteris vix licuit eniti. Poëmata Homeri tanto certe effulgent artificio, ut nihil quod ad copiam, elegantiam & dulcedinem poëseos pertinet, ibi desideretur; quare non ab ipsis tantum Græcis maximi fuerunt habita, sed ad hanc usque ætatem suam retinuerunt pretium. Audiatur Joann. Ger. Vosius, callentissimus hujus rei arbiter, qui in dedicatione Institutionibus Poëticis præfixa sic scribit: "Sive cogitemus siderum motus aliasque observationes cælestes, sive naturæ totius scientiam, sive gubernationem rei familiaris vel rei publicæ, sive rei bellicæ disciplinam; ac quidquid in rebus humanis expetere vel fugere oportet; omnium illorum in eo (Homero) non minus semina comperiet philosophus; quam artis suæ exempla inveniet tum poëta tum orator." Nec credibile est, Aristotelem præ aliis Alexandro Magno Homerum proposuisse, nisi vidisset, ex eo posse hauriri fructum tam sublimis spei adolescentulo dignum. Poëtam hunc contra nonnullos minus æquos censores eruditissima apud Gallos femina Anna Dacera ante aliquod tempus masculine vindicavit. De cætero apud Græcos magno numero



ro floruerunt Poëtæ varii generis, quorum historiam succincte inprimis tradit, quem modo citavimus, Joann. Gerh. Vosius. Artium quoque Mathematicarum cultura apud Græcos admodum fuit antiqua. A Phœnicibus Arithmetica, ab Ægyptiis Geometriam, a Chaldæis Astronomiam habuerunt, ut testatur Porphyrius in vita Pythagoræ. Inprimis autem in Geometria excelluerunt, ut, quæ adhuc supersunt monumenta Euclidis, Archimedis, Apollonii & Pappi declarant. Atque tot licet inventis recentiori ætate aucta fuerit Mathesis, his tamen fontibus etiamnum singularis remanet dignatio. Geographia autem Græcorum valde erat imperfecta. Regiones & tractus mundi perpaucos noverant. Omnes Hyperborei illis dicebantur Schytæ, & omnes Occidentales Celtas indistincte adpellabant. Nihil in Africa ultra citeriorem Æthiopiæ partem, nihil in Asia ultra Gangem noverant. Zonæ ab illis inhabitabiles pronunciabantur, quas tamen habitationi commodissimas esse, jam notissimum est. Peregrinationes quorundam suorum, ceu magnum quid cum admiratione adspiciebant. Neque Græcis defuerunt Optimi Historici, inter quos eminent Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius & Plutarchus. Atque ausim affirmare, quidquid in arte Historica perfectionis cogitari potest, ejus in hisce Auctoribus exhiberi exempla. Verum Eloquentia & Philosophia duo erant campi, in quibus maxime decurrebant Græcorum ingenia. Eloquentia Athenis indefessos habuit cultores. Hic eam inprimis excitavit & aluit libertas Reipublicæ. Negotia

namque

namque civilia majoris momenti in comitiis & conventibus populi peragebantur. Proinde, qui hac dicendi facultate erant instructi, amplissima in civitate adibant munia & præ ceteris plurimum valebant. In Judiciis quoque explicabatur multus Eloquentiæ apparatus; neque opima causidicis præmia defuerunt. Hinc nec mirum, quod tot præstantissimi Oratores apud Athenienses existerent. Ut ex multis aliquos nominemus, Themistocles, magnus ille Græciæ vindex, bellicam gloriam Eloquentia cumulavit. De Pericle dixit Aristophanes, quod fulguraret, tonaret, permisceret Græciam. Omnibus Oratoribus Græcis Demosthenem præfert Cicero, de quo scribit, "quod vim accommodaret ad eam, quam sentiret (Cicero) Eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo cogno-  
verit; quo nec gravior existit quisquam, nec calli-  
dior, nec temperatior, & quo ne Athenas quidem  
ipsas magis Atticas fuisse credidit." Atque fuit utique Atheniensibus optimus Eloquentiæ gustus, qui majorem in modum Oratorum acuit diligentiam. Hac de re non tædet adterre verba Ciceronis licet prolixiora, quæ extant in ejus Oratore Perfecto: "Semper Oratorum Eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque & eorum arbitrium & nutum totos se fingunt & accommodant. Itaque & Caria & Phrygia & Mysia, quod minime politæ minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus, opimum quoddam & tanquam adipatæ dictionis genus; quod eorum vicini (non ita

B

lato



lato interjecto mari) Rhodii nunquam probaverant,  
 Græci autem multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt; quorum semper fuit prudens, sincerumque iudicium, nihil ut possent nisi incorruptum audire & elegans. Eorum religioni quum serviret Orator, nullum verbum insolens nullum odiosum ponere audebat. Mansit Atticus hicce gustus quamdiu ipsa respublica libera mansit; post perditam vero libertatem, sensim defecit, tandemque evanuit; prout ipsa Eloquentia civilis eodem, quo libertas tumultu condebatur. Inducto namque imperio Monarchico, nullus erat Eloquentiæ civilis usus, quum jubendo, non persuadendo agerent Monarchæ. Neque Græcia caruit illis, qui Rhetoricen, sive artem dicendi traderent. Atque credibile omnino est, tales ante tempora Homeri existisse. Neque enim concipi potest, quomodo is, à regulis imparatus, sola ingenii vi, uno & perpetuo tenore tantum artis exprimere potuisset. Prodierunt deinde plures, qui Rhetoricam profitebantur; cæteris tamen Isocratem præfert Cicero, de quo sic scribit in Bruto; "Exstitit, igitur Isocrates, cujus domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus Orator atque perfectus magister, quanquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio est postea consecutus. Verum nulla eorum monumenta, nec aliqua Isocratis Rhetorica scripta supersunt. Antiquissimum de arte dicendi monumentum debemus Aristoteli, de quo sic iudicat Morhofius in Polyhistore Part. I.

Libr.

Libr. VI. Cap. I. §. 2.: "Sed vero inter Græcos etiam Rhetores late regnum tenet optimus maximusque Eloquentiæ magister Aristoteles; quo viro nemo plenius in ista brevitate subtiliusque artem oratoriam tradit, quam exigua trium Librorum mole tere omnem exhaustam cernas, excepta solum figurarum doctrina, quæ ab ipso non est exculta, neque characterum diversitas, in quibus cæteri post Aristotelem præclaræ operam potuerunt." Fuerunt hi oppido multi, sed quorum Scripta nostram attigerunt ætatem præcipui sunt: Demetrius Phalereus, Dionysius Halicarnassæus & Dionysius Longinus. Græci apud Ægyptios & Orientales peregrinati, Thales Milesius, Pythagoras, Democritus, Plato & alii Philosophiam inde reduces in Græciam transtulerunt. Erat autem Philosophia Græcanica qua maximam partem ad ostentationem comparata; hinc Logicam & imprimis Dialecticam excoluerunt, ut eo essent instructiores ad disputandum. Quidam nihil omnino sciri statuerunt, plures, qui videri voluerunt omnia scire Philosophi, quum plurima ignorarent, hunc defectum fictionibus supplere voluerunt, & qui cæteris ingenio sibi præstare videbantur, novum aliquod excogitarunt Systema. Et hinc quoque est, quod in tot Sectas abierunt Græci. De DEO, anima humana & mundo innumera excogitarunt figmenta, quæ hic recensere supervacaneum ducimus, quum apud Historiæ Philosophicæ Scriptores passim obviant. Speciminis loco esse possunt Cosmogoniæ, quarum absurdissima est Epicuri, qui mundum ex fortuito atomorum concursu exortum esse

B 2



esse statuit. Physica Græcorum, tantum non omnis, ex fictionibus constabat. Cæteri præter unum Democritum negligebant experientiam, & quum hanc aliquando jactarent, eandem adulterabant & perverse adhibebant. "Prius plerumque decernebant & deinde ad sua decreta experientiam tortam & captivam circumducebant, ut de Aristotele observat Verulamius. Vir hic incomparabilis genium Philosophiæ & præsertim Physiæ Græcicæ variis in locis satis graphice depingit. In Medicina egregiam quid præstitit Hippocrates, cujus adhuc magna est dignatio & posthac erit. Experientiam præse sequebatur, spiritibus Philosophorum hypothesebus. Galenus contra admisit hypothese, & sic in multis corrupit Medicinam. Historiam Naturalem parce attigerunt Græci, Aristoteles Historiam animalium consignavit, cui ad conficiendum hoc opus multa millia hominum alii aucupes, alii piscatores, alii venatores ab Alexandro parere & intervire iussa. Huc etiam pertinet, quod de partibus animalium idem elaboravit Aristoteles. De plantis supersunt Theophrasti & Dioscoridis scripta; quæ tamen, deficientibus plerumque certis plantarum notis, exiguum habent usum. Restat, ut ad Philosophiam quoque Moralem Græcorum attentionem convertamus. Ante Socratem Theoreticis maxime operam impendebant Græci, morum doctrinam vel omnino negligebant, vel brevibus & quandoque obscuris tradebant præceptis; hic vero se totum Scientiæ Practicæ consecravit, eam plenius clariusque exposuit, & a vita contemplativa ad activam homines dedu-

deducere omni studio est annis, de quo ita loquitur Cicero: "Primus Socrates Philosophiam Moralem e caelo ad terram devocavit, & in urbibus collocavit," & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus rebusque bonis & malis quærere." Quantum quidem constat, nihil ipse scripsit, sententias vero ejus variis in Dialogis explicat Plato sub nomine Socratis, quem loquentem inducit; quamvis etiam sua iisdem admisit, unde Socrates de illo dixisse perhibetur: *Quam multa de nobis hic mentitur juvenis.* Præterea Doctrinas Socraticas Libro quodam tradidit Xenophon. Omnes autem Græci, qui moralia tractarunt post Socratem, hunc ut præceptorem ac duces venerabantur, & Socratici videri volebant. Ast ex dogmatibus Socratis id quisque sibi imprimis excolendum selegit, quod suo potissimum ingenio ad blandiebatur. Sic hilarior natura Epicurus, quæ de voluptate docuerat Socrates, arripuit; Zeno indole severior austeriora ejusdem adoptavit. Et sic porro. Nec dubium, quin plurimi, qui se Socratem sequi jactarent, ab eo longe deflexerint. Quod si indolem Philosophiæ Moralis Græcicæ penitus consideremus, hæc luculentum præbet exemplum hominis sibi relicti, & felicitatem quærendo se varias in partes contorquentis. Unus erat cardo, quæstio de Summo Bono, quod, ut modo innuimus, suo ex ingenio singuli statuebant; quare quum maxima sit ingeniorum diversitas, non potuerunt non plurima existere opinionum divortia. Nec parum ad hoc contulit communis illa Græcorum ad ostentationem propensio,



penſio, quæ Philoſophiæ quoque Morali ſe infudit, ut plures ſibi præſidentes, in hac etiam novi alicujus inventi auctores haberi voluerint. Sic factum eſt, ut Scientia generi humano utiliſſima, & ſi qua alia certis ſuperſtruenda fundamentis, a multis ut incerta & Philoſophorum luſus traduceretur. Quæ ad Scientiam Politicam Græcorum pertinent, apud Oratores, Hiſtoricos, imo in Legibus eorum occurrunt multa. Systema vero ejus primus conſignavit Plato in libris de Republica & de Legibus; qui tamen ingenio liberius indulgens, ea quandoque adhibet, quæ, poſita hac hominum conditione, in ſocietate civili locum habere nequeunt. Ariſtoteles vero, experientia in ſubſidium vocata, tale condidit Systema Politicum, cui magnum huc uſque fuit pretium & poſthac erit. Plurimum corruptelæ, & Eloqventiæ & Philoſophiæ Græcanicæ intulerunt Sophiſtæ. Sic olim dicebantur Philoſophi & Rhetores; deinde hoc nomine venerunt, qui Philoſophia & arte Rhetorica ad quæſtum & oſtentionem abutebantur. Protagoras, referente Diogene Laërtio, dixit, duas eſſe de omni re rationes contrarias. Idem aſſeruit, non aliud eſſe verum, quam quod unicuique videretur. Hinc profitebantur, ſe docere artem, quemadmodum cauſa interior dicendo ſuperior fieri poſſet. Gorgias ad omnia, de quibus quiſque audire vellet, ſe eſſe paratum denunciavit. Poſtea hoc vulgo facere cœperunt, ut, narante Cicerone de Oratore, nulla eſſet res neque tanta, neque tam improvifa, neque tam nota, de qua non omnia, quæ dici poſſunt, profiterentur ſe eſſe di-  
 "Auros.

"Auros." Jam Socrates Sophiſtarum ſtultitiam ac temeritatem perſtrinxit. Platonis quatuor de iisdem extant dialogi. Nec Ariſtoteles illis pepercit, qui de argumentis eorum duos conſcripſit Libros, eorumque ingenium deſcripſit. Sed omnes fruſtra fuerunt; quamdiu enim in Græcia aliquis Eloqventiæ & Philoſophiæ cultus ſuperſuit, etiam hæc natio manſit luſperſtes.

#### ſ. IV.

Quoniam ſcientiæ a Græcis ad Romanos transmi-  
 O grarunt, ad horum in literis guſtum explorandum jam ordinis ratio nos invitât. Inter arma hæc civitas fundata eſt, & armis ad formidabilem imperii magnitudinem crevit. Hic cæteris inſtitutis res militaris prævaluit, quam maxima præmia & ſummi comitabantur honores; unde non potuit non fieri, ut communis Romanorum guſtus etiam eſſet militaris. Diu certe multorum hæc erat opinio, quod artibus literariis & præſertim Græcanicis molleſcerent animi & cives ad legum obſequia fierent tardiores. Verum hunc metum dies minuit, & ratio tandem exemit. Nec enim deinde verebantur viri, ſago ac toga præſtantiffimi, & ipſi has artes diſcere, & aliquos earum ſcientia conſpicuos ſua in ſocietate & convictu habere. Poſtquam vero Græcia in ditionem Romanam ceſſerat, atque magiſtratus Romani, eorum comites, milites & alii cives publicorum negotiorum cauſa in Græciam, Græci ob ſua negotia in urbem dominam venerunt; factum eſt, ut Græci eorumque ſcientiæ & artes magis magisque innoteſcerent Romanis, horumque  
 multis



multis placere inciperent. Hinc vel Græcos ingenio & doctrina celebres in urbem advocarunt, vel filios Athenas miserunt scientiis Græcanicis imbuendos, imo quandoque ipsi Athenas profecti, ibi diutius commorabantur, ut otii literati perfruerentur voluptate. Sic eruditio Græcorum, & cum hac gustus Græcanicus transmigravit Romam, & per ipsum imperium se longe lateque propagavit. Sed veniamus in rem præsentem, & quænam potissimum artes & scientiæ apud Romanos excultæ fuerint, videamus. Erant hæ Poësis, Historia, Philolophia, Eloquentia & Jurisprudencia. Etiam apud Romanos antiquissimi Scriptorum fuerunt Poëtæ & quidem Comici. Perierunt opera Ennii, Nævii, Licinii, Pacuvii & Attii, nec nisi fragmenta quædam eorum, aliorum monumentis inserta, supersunt. Extant Plauti & Terentii, qui in prologo Andriæ de se, Nævio & Plauto fatetur, quod Græcos fuerint imitati. Multi deinde exstiterunt apud Romanos Poëtæ, nec ulla datur poëteos pars, quam non aliqui excoluerunt. Inter cæteros eximii sunt, qui sub Augusto vixerunt, Virgilius, Horatius & Ovidius. Omnes autem, ut Græcos sequebantur Duces, a quibus & Mythologiam acceperunt & ipsam artem poëticam; ita in imitatione Homeri nemo fuit Virgilio felicior, qui virtutes ejus non solum in multis expressit, sed sæpe superavit, cæu Julius Cæsar Scaliger, Rapinus & alii probarunt. Idem Virgilius in Eclogis imitatur Theocritum, & quidem sic, ut, teste Barthio, Græcus Scriptor immani intervallo Latinum relinquere videatur. Neque Latium sterile fuit Historicorum. Et quomodo

tanta

tanta rerum gestarum abundantia non excitaret ingenia ad scribendum? Pauciores tamen erant arduo huic muneri pares. Plures inter Historicos Romanos tres tantum honoris causa nominat Justus Lipsius in dedicatione Commentarii in Corn. Tacit. ad Imperatorem Maximilianum II: dum: Livium nempe, Sallustium & Cornelium Tacitum; quavis etiam in his discrimen meritorum observet. Livio principatum tribuit, si spectetur magnitudo operis & varietas rerum; in quo tamen multa contineri asserit ad oblectandum magis quam instruendum idonea. Sallustius unus ex triumviris illis Lipsio videtur consecutus omnia, quem, si sui arbitrii esset, principem Senatus Historici legere non dubitaret. Cæteros inter minorum quasi gentium Historicos ex sententia Lipsii unus excellit imitator Sallustii Cornelius Tacitus, omni virtute antiquis proximus, & si lingvæ Latinæ eadem esset puritas, cætera sic perfectus, ut antiquos illos in certamen dignitatis vocare possit. Cæsa rem laudat idem Lipsius ut disertum narratorem, cujus pura oratio sine fuco ac calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis musis dignissima est, non ut perfectum Historicum; quum & nonnulli fidem ejus in Historia civili requirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei desit. Lipsii, viri sine controversia in hoc studiorum genere magni judicio hic niti voluimus, ne nostrum de tot Scriptoribus antiquis minus favorabile suffragium temeritatis notam incurreret. De cætero certissimum est, Latinos a Græcis artem Historicam habuisse. Inprimis de Sallustio constat, quod Thucydidem fuerit æmulatus. Quantum

C

Corne-



Cornelius Tacitus in Græcorum lectione versatus sit, vel ex pluribus Græcismis, ejus æque ac Sallustii stylo inspersis, judicare licet. Occasione & modo ante dictis sensim ad Latinos transit Philosophia Græcanica. Tres autem Græcorum Sectæ se illis præcipue commendarunt; Academica, Epicurea & Stoica. Oratoribus Academica placuit, quum variis de rebus probabiliter differendo uberem orationi materiem præberet. Huic addictus fuit Cicero, quod variis in locis ipse testatur. Neque hoc obstitit, quo minus Stoicorum quandoque & aliorum philosophorum placita sequeretur, quum id primo Academicorum principio omnino esset consentaneum. Epicureorum doctrina divitum & fortunatorum excitavit palatum. Hanc sibi delegit Lucullus, Romanorum splendidissimus, qui in domesticam suam societatem philosophicam Epicureos potissimum adiecit. Sub Principibus deinde multi aulicorum eandem hæresin amplectebantur, cui ut vita & moribus, ita etiam professione accessit Petronius, ille apud Neronem elegantiarum, vel potius nequitia magister. Stoicorum dogmata viri graves & natura ad severitatem facti adoptarunt. Tales erat Cato Uticensis, qui Philosophiam Stoicam plene intellexit & omni vitæ actu expressit; atque etiam, referente Cicerone, quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex ea tractavit. Primus Romanorum Cicero Philosophiam patria lingua tradidit, ejus varia opera Philosophica etiamnum extant. Dolendum Libros ejus de Republica interiisse, de quibus non nisi pars sexti, Somnium Scipionis dicta, superest. Quæ singulis Libris tractata fuerint

fuerint argumenta, ex Augustino de Civitate Dei quodammodo intelligi potest; unde desiderium thesauri perditum augetur; nec dubium, quin, si monumentum hoc integrum ad nos venisset, Scientiæ Civilis antiquæ pulcherrimum exhibiturum fuisset Systema. Tantum ducem pauci admodum Romanorum sequebantur. Philosophiam Stoicam Seneca variis tractatibus exposuit. Ad Epicuream pertinet, quod Libris Sex de Natura rerum ligate scripsit Lucretius. Sequioris ævi est Severinus Boëthius, inter Latinos Aristotelis interpretes princeps; ejus plura dantur opera Philosophica, in quibus eminet Liber de Consolatione Philosophiæ.

Studiis Mathematicis Physicis atque Historiæ Naturalis minus vacarunt Romani: vel quod utilitatem eorum non satis perspexerant; vel quia raptò vivere adsveti, aliena potius quam propria arte atque industria luxum alere voluerunt. Exstant nihilominus in Architectura Vitruvius, in Historia Naturali Plinius. Quæstiones etiam Naturales Seneca consignavit. Hicce, si placet, accedat Cornelius Celsus, qui Scientia Medica & castissima Latinitate id meruit, ut Latinorum Hippocrates & Medicorum Cicero diceretur. De Philosophia apud Romanos in univèrsum id constat, quod, ut a Græcis ad eos devenit, ita intra modum ac mensuram Græcanicam hic substitit; quum Græcorum dogmata oratione quidem ornarent nonnulli, sed nihil illis adderent. Hoc quoque in laudem Romanorum dici potest, quod non ut multi Græcorum ostentationis & quæstus causa Philosophiam tractabant; quare nec Sophistica illa garrulitas apud eos invaluit. Quod autem



autem Philologia non apud hos tot habuit cultores atque penes Græcos, hujus rei ratio, præter gustum Romanum militarem, de quo supra, ex ipsa magnitudine imperii peti potest, & negotiorum in eo multitudine, quæ satis suppeditabant materiæ, in qua se exercerent alacriora ingenia; proinde, quum amplissima hæc præmia ostentarentur, non alii se adplicuerunt ad Philologiam, quam quos ipsa ejus dulcedo allexit.

Dispar vero ratio erat Eloquentiæ, quæ dum liberam Romani habebant Rempublicam, in Senatu, in foro, in comitiis operosa artes ingenuas omnes dignitate & præmiis antecedebat. Hac de re Auctor Dialogi de Caus. Corr. Eloq. sic loquitur: "Quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequeretur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tanto plus apud principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat. Hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant. Hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant. Hos & præturæ & consulatus vocare ultro videbantur. Hi ne privati quidem sine potestate erant, quum & populum & Senatum consilio & auctoritate regerent. Quin immo sibi ipsi perseverant, neminem sine Eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum. Hæc tanta commoda non poterunt non satis habere efficaciam ad exuscitandam apud Romanos Eloquentiam, cujus initia quædam inter eos etiam ab antiquis temporibus fuisse reperimus. Paucis post Reges exactos annis, quum plebs in montem sacrum

crum secessisset, gravissimam seditionem dicendo sedavisse perhibetur M. Valerius; cui ob eam rem honores amplissimos habitos & eum primum ob eam ipsam causam Maximum esse adpellatum Cicero refert. Deinde facultate persuadendi inclaruerunt Appius Claudius C. Fabricius T. Coruncanius & alii. Verum credibile est, horum facundiam naturali potius ingenii vi & exercitatione quam certa quadam arte stetisse. Qui autem singularem Eloquentiæ laudem promeruit, primus fuit Cornelius Cethegus, quem Ennius Oratorem svaviloquenti ore, imo Svadæ medullam vocavit. Observandum est, circa hoc tempus Romam delatas fuisse artes Græcicas, quibus ut Ennius, ita sine dubio etiam imbutus fuit Cethegus. Hunc consecutus est M. Cato; cujus orationes amplius CL. se invenisse & legisse tradit Cicero, & verbis & rebus illustribus referas; in quibus, si eligerentur ea, quæ notatione & laude digna essent, omnes oratoriæ virtutes reperirentur. Post, successu temporis in fundo Romano copiosa excrevit seges Oratorum, quorum sigillatim virtutes luculento opusculo describit idem Cicero, quem hic præcipue sequimur ducem. Quantum Eloquentia valuerit Arpinas iste, nemo in civitate Literaria tam hospes est, ut ignoret. In hoc viro laudando certamen quoddam inierunt eruditi, de quo, ut alios præteream, hoc est Quintiliani judicium, stetisse illum in fastigio Eloquentiæ, cui quid adjici posset ignoraret. Certe hoc singulare est in Cicerone, quod, quum alii uno præsertim dicendi genere valuerint, hic in sublimi medio & humili æque excelluit. Quod Græcos imitatus fuerit



rit & imprimis Demosthenem res ipsa docet, verum ita, ut sæpe superaverit magistrum, ceu Longinus ipse Græcus fatetur. Præterea comparationem Demosthenis & Ciceronis scripsit Plutarchus, ex recentioribus tractatu Gallico Rapius. Cum Cicerone ut libertas Reipublicæ, ita Eloquentia cecidit. Sub Monarchico namque imperio, præterquam quod in foro aliquantisper se volutaret, ejus unum fere negotium erat principibus adulari. Mutationem hanc non sine adulatione solatur idem Auctor Dial. de Causl. Corr. Eloqv. in hunc modum: "Quomodo minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissima valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur; sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in Senatu sententiis cum optimi cito consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cum de republica non imperiti & multi deliberent, sed sapientissimus & unus? Quid voluntariis accusationibus, cum tam raro & tam parce peccetur?"

Quo tempore de aliis Græcorum artibus minus æqua fuit Romanorum sententia, durius hoc fatum Rhetorica experiebatur, ut Senatusconsulto primum, & mox edicto urbe proscriberetur. Concedebatur deinde reditus & mansio, sed forte minus honorifica, dum nonnisi a Libertinis doceretur, qualis fuit L. Plotius Gallus, qui primus Romanorum has obiit partes. Verum, quidquid hoc erat dehonestamenti, pensavit eminentior, qui ei contigit honor, quum a Cicerone, consulari & singularibus in patriam meritis illustri, variis operi-

operibus explicaretur; quamvis non desint, qui hunc Oratorem, quam Rhetorem meliorem fuisse statuunt. Post Ciceronem plures exstiterunt Rhetores Romani, quibus cunctis palmam præripuit Fabius Quintilianus, cujus Institutiones Oratoriæ, quæ ad hanc artem pertinent, fere omnia complectuntur. Quod autem in doctrina quoque Rhetorica Græcos in subsidium vocaverint Latini, ipsa eorum opera vel primo intuitu ostendunt. De cætero, si tam Atheniensium quam Romanorum Eloquentiam adspicere placuerit, ut ejus in civitates istas effectus in considerationem veniat, emolumentum ne an damni plus attulerit, anceps est quæstio. Non omnes facultate dicendi pollentes, erant Solones, Pericles, Demosthenes; nec Menenii, Catones Cicerones. Quid Pisistratus Athenis, quid Gracchi alique eorum similes Romæ moverint, notorium est. Nec vel Athenienses vel Romani adeo facile libertatis jacturam fecissent, nisi Demagogis & Tribunis Plebis mercenariæ fuissent lingvæ. Quid utrumque apud populum in judiciis effecerit Eloquentia, vel inde patet, quod tota fuit comparata ad concitandos affectus, quibus nihil in judicando esse potest perniciosius. Sed hæc vel hominum, vel institutorum vitia arti præstantissimæ, & dum recte adhibetur, utilissimæ non derogant, quum optima quælibet abusu in damnum & noxam vertere queant.

Neque præmii & honoris expers erat jurisprudentia, quare & hæc plurimos nacta est cultores. Quantum vero ipsa crevit civitas, tantum in ea quoque multiplicabantur Leges; proinde ut nullum exstitit imperium



rium magnitudine Romano par, ita nec aliud facile reperire licet, ubi tanta Legum multitudo obtinuit. Historiam Juris Romani viri doctissimi condiderunt, & quidem integris libris; nostri solum instituti est, pauca delibare, quæ indoli dicti Juris intelligendæ inserviunt. Sub Regibus multæ latæ fuerunt Leges, non tamen sola eorum auctoritate omnes, sed quædam etiam accedente populi consensu. Sublata Regum potestate, Leges quoque ab his latæ exauctorabantur; remanserunt tamen illæ, quas de cultu divino sanxerat Numa Pompilius, & quæ a populo in comitiis fuerant receptæ, & aliæ populi & magistratum jura continentis; quas Senatusconsultis & plebiscitis confirmatas congeffit C. Papyrius, quæ collectio Jus civile Papyrianum dicebatur, cui aliæ leges a Consulibus latæ accesserunt. Anno U. C. CCC, quum in civitate varia enata fuissent dissidia, ex Senatus populique decreto mittebantur in Græciam, qui meliores singularum civitatum, præsertim Atheniensium & Lacedæmoniorum Leges describerent. Tanta jam eo tempore de sapientia Græcorum Romanis fuit persuasio. Postquam illi Romam redierant, ex Senatus consulto creati sunt X viri legum ferendarum; cessante interim Magistratum reliquorum & Consulum potestate. Hi ex Legibus e Græcia adlatis, Regiis, & consuetudinibus patriis, quod optimum videbatur collectum, & X tabulis comprehensum, in publicum prodixerunt. Et quum in Legibus his quædam desiderarentur, sequenti anno duæ additæ sunt tabulæ. Sic enatæ sunt XII tabulæ, quæ fons erant omnis publici privatiq[ue] Romanorum Juris. Post  
aboli.

abolitam Decemvirorum potestatem consules denuo creati, qui Leges XII. tabularum æri incisas, pro curia rostris adfixerunt. Quod autem pauciores essent Leges, quam ut singulis, qui obveniebant, casibus decidendis sufficerent, cœpit disputatio fori & interpretatio prudentum. Jurisconsulti nempe variis de casibus quæsi respondebant; quorum sententiæ, licet consuetudine tantum niterentur, perinde ac Jus scriptum valebant, ac communi nomine Jus civile adpellabantur. Hos a variis Pontificibus Maximis sensim collectos, L. Mucius Scævola, & ipse Pontifex Maximus, primus in unum corpus redegit. Atque quum in multis dissenserint Jurisconsulti, non potuit non evenire, ut in responsis eorum haud raro plurimum esset diversitatis, unde magna Juris incertitudo. Hoc etiam tempore certæ consignatæ sunt formulæ, secundum quas in foro ageretur, quæ primum in custodia Jurisconsultorum erant, & quidem, ut scribit Cicero, eorum potentiæ obtinendæ & augendæ causa, deinde in vulgus edebantur. Accesserunt subinde novæ Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Prætorum edicta, ut in vastam magnitudinem Jus Romanum excresceret. Post inductam formam regiminis Monarchicam, novam induit faciem, quum ab uno Principis arbitrio totum pendere inciperet. Sic pristinæ ejus molis accumulabantur Principum Sanctiones pragmaticæ, Edicta, Mandata, Decreta, Rescripta. Addebantur & Leges, a magistratibus latæ, ut Senatusconsulta, postquam hæc a Principibus fuerant confirmata. Neque tum exiguæ erant auctoritatis Responso Jurisconsultorum, qui Sectis tamen inter se divisi, contraria sæpe statuebant. Nec parum mutationis Juri induxit Constantinus  
D  
Ma-



Magnus, Christianus factus, qui de Ecclesiarum immunitate, bonis Ecclesiasticis, Episcoporum Jurisdictione, aliisque ad Religionem spectantibus, varias promulgavit Leges; & præterea, ut commemorat Eusebius, plurimas ad majorem Sanctitatem traducens, pro antiquis novas fecit. Dudum intellexerant Romani, quam non solum incommoda, sed etiam noxia esset nimia Juris magnitudo. Præter Ciceronem & Pompejum, qui de vitio hocce corrigendo cogitaverant, etiam Julius Cæsar Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immentia effusaque Legum copia, ut narrat Svetonius, optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros voluit; cujus destinati executionem interveniens fatum occupavit. Post interjectam longi temporis moram, sub Hadriano demum hujus rei aliquod factum est initium. Hic namq; anno post Christum natum CXXX. edicta Prætorum quotannis proponi solita per Salvium Julianum in compendium redigi curavit, quod Edictum Perpetuum fuit vocatum. Mox Titus Cajus Juliani Discipulus Institutionum Libros quatuor consignavit; quem alii in eodem instituto sequebantur. Neque hic substituerunt Jurisconsulti, sed decreta Jurisprudentiæ multis Pandectarum Libris collegerunt, quibus in hoc negotio præivit Domitius Ulpianus. Constitutionum Imperialium Libros composuit Julius Paulus, quem excipiebant Gregorius & Hermogenianus, codicum cognominum auctores. Mox jussu etiam Theodosii Junioris collectus est codex ab ipso dictus Theodosianus. Sic medicina morbum, atque institutionum, systematum & collectionum multitudo, quod sua dudum magnitudine laboraverat, Jus civile auxit. Hoc inveteratum malum invadere, & si fieri potuit

tuit, funditus extirpare voluit Justinianus. Hic per selectos ad id negotium viros illustres, potiores ex tribus codicibus, Hermogeniano, Gregoriano & Theodosiano, constitutiones colligi curavit, additis, quæ post codicem Theodosianum editæ fuerunt, novellis; atque sic novus conflatus est codex, & quidem intra unius anni duorumque mensum intervallum. Deinde per Tribonianum, cui sedecim viros adjunxit socios, ex duobus millibus Librorum veterum Jurisconsultorum, & ut ipse loquitur imperator, trecenties decem millibus versuum, novas confecit Pandectas. Huic operi decennium destinaverat Justinianus, quod Tribonianus ex celeritate gloriam captans, triennio absolvit. Ultimam per eundem Tribonianum una cum Theophilo & Dorotheo ex Pandectis & Institutionibus Caji novas consignari jussit institutiones. Atque ne suis luminibus antiquitas obstrueret, Tribonianus, toto opere absoluto, antiquas leges, Edicta Prætorum, Senatusconsulta & alia quæ ad Jurisprudentiam spectabant, monumenta, supprimi curavit & aboleri. De hoc jure, quod in variis etiam Europæ regnis & civitatibus postmodum fuit receptum, non eadem est omnium sententia. Quidam in cælum usque id laudibus extollunt; alii in orbem vituperando dejiciunt. Medium tenere videtur tutissimum. Multa hic contineri satis egregia, nullum est dubium, quod magnus etiam Grotius agnoscit; sed nec insciandum est, haud minimos eidem inesse navos. Nec aliter fieri potuit: nam qui huic negotio vacabant, præter unum Tribonianum, omnes erant Græci, qui neque Libros, saltem vetustissimos, neque antiquitates & instituta Romanorum, intelligebant. Tempus etiam, quo conficiebatur hoc opus, brevius erat, quam ipsa rei gravitas postulavit. Vicia autem, quæ in eo observant viri doctissimi, & a partium studio alieni, potissimum sunt sequentia: I. Multa hic, & præsertim in Pandectis, occurrunt mutila, & hinc inde variis ex Auctoribus confarcinata, sine ullo Orationis vinculo & nexu, prout in coagmentandis hisce segmentis nullus servatur ordo. II. Plurimæ reperiuntur geminationes, & quæ in unum conferri debuis-



debuissent locum, adhibentur pluribus, atque eadem soepius dicuntur. III. Dantur multæ Antinomix, quas, varias Leges conciliando quidam tollere sunt conati; sed res adeo est manifesta, ut conciliationi non sit locus. IV. Quod deterrimum, hoc jus in multis est injustum, quidquid in contrarium dicat Ulricus Huberus in sua Eunomia Romana. Hæc omnia Hottomannus in Anti Triboniano, & Christian. Thomafius de Nævis Jurisprudentiæ, ad oculum demonstrant. Plura eadem de re optimorum recentioris temporis Jurisconsultorum judicia collegit Burchardus Gotthelf. Struvius in Historia Juris, Præterea tota res judiciaria apud Romanos multis erat vitiis obnoxia. Quamdiu libera fuit Respublica, vel populus, vel magistratus ac iudices, aut a populo aut magistratibus lecti, exercebant Judicia. Quod in plebe magna fuerit Juris ignorantia, per se evidens est. Magistratus quoque ac Iudices non multum plebi præstabant Scientia Juris, cujus in illis eligendis nulla habebatur ratio. Quis enim ideo factus est Prætor, quod esset Jurisperitus? Et sic de reliquis Judicibus. Una erat ratio Jurisperitos consulere, qui prout in partes erant affecti, dabant responsa. Factiones & corruptelæ ubique regnabant; ac tanta erat Judicum licentia, ut pro arbitrio plerumque sententiam dicerent. Sub Monarchia deinde, ut cætera omnia, ita etiam Judicia, posita erant in arbitrio Principum, quorum multi quales fuerint quis ignorat? Speciminis loco esse possunt, quæ sub Tiberio & Nerone contigerunt, & a Cornelio Tacito narrantur. Quid? quod ipse Justinianus, tantus, ut videri voluit, Juris Reformator, civium bona avaris magistratibus avarissimus ipse vendidit, multosque nulla eorum culpa sed proprium duntaxat ob lucrum omnibus fortunis exiit, imo eandem ob causam leges haud raro fixit atque refixit, ut Evagrius alique commemorant. De causidicorum vero, præsertim sequioris temporis, ignorantia, avaritia, nequitia & fraudibus, plura narrant Scriptores, quam hæc capiunt pagellæ. Inter alios hæc prolixè describit Ammianus Marcellinus Libr. XXX. cap. IV. quem, si placet, Benevolus Lector consulere potest.